in eis qui adhuc hec accusare contendunt. Epictetus eps
dixit. O imperator non fidei causa hodie neque iudiciorum eccle-
siasticorum sermonem facit. sed ut apud senatores in romana
constitutus urbe glorietur. quasi superaverit principem.
Imperator ad liberium dixit. quo ad partes totius orbis. quoniam
tu solus hominem vindicas nefandissimum. et orbis terrarum
pacem ecclesieque dissolvis. Liberius dixit. Non nego quod ego sum
solus. fidei causa minuitur. nam et antiquitus tres soli re-
periuntur resistentes precepto regis. Eusebius eunuchus
dixit. Imperatorem nostrum nabuchodonosor fecisti. Liberius
dixit. Non. sed ita inrationabiliter ad iudicandum est homo.
qui non est examinatus. Hec ego peto primitus generalem proferri
ri subscriptionem confirmantem fidem nicena prolata. ut
ita revocentur ab exilio fratres nostri et in locis propriis re-
stituantur. si hi qui turbas pariunt ecclesiis visi fuerint.
et apostolice fidei consentire. Tunc apud alexandriam eo ve-
convenientes omnes ubi et accusatus. et accusatores sunt. Et de-
fensores eorum examinata causa possumus proferre sen-
tentiam. Epictetus eps dixit. sed cursus publicus non sufficit
subvectioni episcoporum. Liberius eps dixit. Ecclesiastice cause pub-
lico cursu non egent. Ecclesie namque sufficiunt usque ad mare
perducere suos episcopos. Imperator dixit. que dudum suscepit forma
solvi non possunt. plurimorum namque episcoporum debet valere sen-
tentia. Tu solus es qui amicitiam illius scelerati defendis. Liberius
dixit. Imperator. Numquam audivimus absente accusatore iu-
dicem eius scelera proferentem. nisi quasi propria videntur hec odia.
Imperator dixit. Omnibus equaliter nocuit in communione. nulli tamen
ita sicut mihi. cui non sufficeret interitus fratris mei maioris.
neque beate memorie constantem. cessavit in me inimici-
tias frequenter inpellere. Nisi non maioris consuetudine
detentus inpellentes momenta temperassem. Nulla namque

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_927/0164
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG